IESVITOGRAPHIA.

Hoc est:

BREVIS DESCRIPTIO

Sectæ Iesuiticæ.





ANNO

M DCXIX.





IESUITOGRAPHIA.



PULENTAS civitates,
Vbi ſunt commoditates,
Semper quærunt ipſi Patres:
Claras ædes, bonum vinum,
Bonum panem, bonum lignum,
Et pallium tempeſtivum:
Indiæ galli, capones,
Turdi, lepores, pavones,
Sunt horum Patrum bucones.
Pingui carne vitulinâ,
Non bovinâ, ſed ovinâ,
Horum plena eſt coquina.
Ambiunt ubique primum;
Non admittunt peregrinum;
Nec ſurgunt ad matutinum.
Vivunt unà Ioviales,
Dies agunt feriales,
Quos optarent eſſe tales.
In ſingulos ſpeculantur,
Et ubique perſcrutantur,
Quid vel agant, vel loquantur.

Confeſſores curioſi,
Prædicatores verboſi,
Et doctores faſtuoſi.
Soliciti de gloriâ
Semper, & de pecuniâ,
Et augendâ familiâ.
Summi ſui laudatores,
Aliorum deſpectores,
Et omnium ſunt cenſores.
Ex cohorte juventutis,
Illos agunt blandimentis;
In hos ſæviunt tormentis.
Qui nobiles, qui formoſi,
Divites, ingenioſi,
Sunt Ieſuitis pretioſi.
Iſtos ſibi prædeſtinant,
In illos flagris cheriſſinant,
Exercent carnificinam.
Si ſucceſſio ſperatur,
Hæc Societas lætatur;
Et qui linquit, prædicatur.
Si cui caligant oculi,
Circumſtant ripam lectuli,
Ieſuitæ demùm Angeli.

Hi

Hi vel illi morituri,
Sunt animam halaturi;
Iſti bonis potituri.
Ad illos inſtitutio
Spectat, vel ſubſtitutio,
Vel delegata portio.
Nam ſemper ob cauſam piam,
Ad augendam familiam,
Detrahunt falcidiam.
Sunt audaces ad petendum,
Prompti ad accipiendum,
Habiles ad ſuccedendum.
O` vulpinam ſanctitatem!
Prædicando charitatem,
Subtrahunt hæreditatem.
Norunt blandâ cantilenâ,
Cum Chriſtianâ doctrinâ,
Allicere aliena.
Heus bone, confitere;
Et noſtrî miſerere,
Si ſalutem vis habere.
Si quem contingit donâſſe,
Redde ſæpè; ſemper tace.
Abſolvo te; vade in pace.

Nil habemus, ut videtis:
Date ea, quæ habetis;
Centuplum accipietis.
Hi periti mendicantes,
Sunt quaſi nihil habentes;
Et omnia poſſidentes.
Eminent inter clericos,
Imperant inter laicos,
Excellunt inter aulicos.
Heu! qui ex iſtis patribus,
Spretis ſpiritualibus,
Incumbunt temporalibus.
Martem nôrunt animare,
Et tumultus ſuſcitare
Inter Reges, & ſedare.
In occulto multa jactant,
Quæ vel ipſum Papam celânt:
Quid non iſtæ vulpes tentant?
Multa merè ridicula
Nobis velut oracula
Sua jactant miracula.
Verſipelles, glorioſi,
Vltores ſeditioſi,
Sunt iſti religioſi.

Si

Si illos petunt potentes
Et opibus affluentes,
Pedes habent diligentes.
Si quid quærant carcerati,
Et opibus ſpoliati;
Dicunt, ſumus occupati.
Non hæc Ieſus vos docuit,
Cujus nomen ſic placuit:
Cur & vitam non induit?
Inter greges afflictorum
Primus egit ille chorum,
Turbam vitans ſuperborum.
At Ieſuitæ non hos greges;
Sed ſolos ſequuntur Reges,
Ipſis & facturi leges.
Ieſus, peram & ſacculum,
Dixit eſſe ridiculum,
Velle ferre Apoſtolum.
At hi, quamvis in mammonâ
De cathedrâ multa tonant;
Ipſis æra ſemper ſonant.
Domus, agros, uniones,
Aureorum milliones,
Habent iſti nebulones.

Abbatias, Prioratus,
Habent & Episcopatus;
Supereſt tantùm Papatus.
Cum hoc faſtu dignitatis,
Iunge votum paupertatis,
Et decus immortalitatis.
Habent opes Venetorum,
Habent faſtum Hiſpanorum,
Imperium Romanorum.
Ergo ſancti venerantur;
Ergo Reges dominantur;
Ergo fures deprædantur.
Dominantur temporali;
Dominantur ſpirituali;
Dominantur omnibus malé.

Vos qui cum Jeſu itis,
Non ite cum Jeſuitis.

